

# TETRACTYS RERUM

## Summum Philosophiæ discursivæ Compendium.

**E**ssentias rerum sicut Numeros esse, cum in aliis multis, tum præcipuè in succinctâ rerum inter se conferendarum, & ad certa genera speciesque revocandarum distinctione pariter & dispositione, luce meridianâ clarius apparet. Utut enim variis modis inter se comparari, variisque velut agminibus constitutis menti cognoscenti Res exponi possint, perinde scil. ut Numeri vel per decadas, quod vulgò fit, vel per pentadas, ut in Angliæ certis locis fieri solet, vel sub aliis articulis, artificio computationis substerni queunt; tamen, ut in Numeris natura præcipuè *Quaternarium* illis proprietatibus instruxit, quibus menti computanti quàm efficacissimè succurri potest, adeò quidem, ut Deum mentis humanæ veluti Symmetriam illis proprietatibus attemperasse veteres non immeritò crediderint; ita totam quoque Naturam Rerum quadratâ ratione potius quàm sub aliâ quacunque formâ discretivâ constituit, ut proinde, si Rerum genera per quaterniones menti familiares, quibus natura tota gaudet, in Philosophiâ proposuerimus, maximè naturaliter, & per consequ. facillimè, computum cognitionis circa quascunque res exercendi, scientiamque rerum expeditissimè sibi comparandi, discursus eruditos de quâcunque propositâ materiâ vel ex tempore, quousque libet, promptè continuandi, viam nos stravisse nobis videri poterimus.

D

Sicut